

LEGES ACADEMIÆ

QVARTA.

SEuerè prohibemus vociferationes noctu vagantium in plateis, & nocturnos ac diurnos tumultus, ac disertè mandamus, ne quis turbam seditiosè conuocet, Item, ne quis alium prouocet ad dimicandum, aut domo euocet ad dimicandum, neue prouocatus assentiat prouocanti. Ac meminerit vterq; se voce diuina, scilicet hac lege, qua Deus pacem cura Magistratum muniri vult, retineri, ne vel in suam vel in alterius perniciem ruens, terram sanguine iniuste fuso polluat, ac iram Dei irriter. Nam & ad hanc legem pertinet dictum: Necessè est obedire non solum propter iram, sed & propter conscientiam. Cumq; prouocationes violent iusiurandum, quod Rectori singuli Scholastici dare solent, & per sese sint iniuste, atroces, ac latrocinij similes, nec tollerari possint in societate ciuili: Ideo constitutum est à Maioribus nostris, cogente necessitate, vt vtriq; prouocatores, & qui assentiuntur prouocantibus, atq; inter se ex prouocatione dimicant, ex Academia eiciantur. Qualis enim furor esset, si in ipsis templis DEI latrocinia exercerentur? At Scholæ reuera sunt templa DEI.

QVINTA.

CVM valde periculosum sit in ciuitatibus pacatis eiaculari globos plumbeos, aut similes, prohibemus illas iaculationes, & seueris exemplis petulantiam in hoc genere puniemus.

SEXTA.

Sciãnt